

---

## LECTORI.

---

Quinque primae, quae subiiciuntur, fabulae a Gudio ex Manuscripto Diuisionensi descriptae, et numeris suis redditae sunt. Credidimus eum plures ex eodem Codice descripsisse, nam ejus autographum, ex quo nos eas exhibemus, ut omnibus fere partibus, ita maxime in fine, lacerum et mutilum erat, et pluræ folia, quibus fabulas adhuc quasdam prescriperat, (ut ipsius manus in capite primæ hujus fabulae testabatur, quae, si bene memini, triginta nouas et numquam editas, in has chartas ab ipso conjectas indicabat,) desiderabantur,

et abscissa esse videbantur. Forte et hae alii quando claustra, quibus continentur, perrumpent. Reliquae, praeter quinque priores, a nobis ex Rimicio, Anonymo et Romulo Nielantii in metrum suum redactae sunt, quas, si non omnes, maximam tamen partem, olim a Phaedro fuisse versibus senariis conscriptas credimus. paucas Nielantius etiam tentauit versibus exprimere, in uno, mea sententia, pecans, quod sexto pede spondeum posuerit, quod nec Phaedrum, nec alium Poëtam, in senariis fecisse, mihi persuasissimum est.

---